# CURRENDA

## Consistorii Episcopalis Premisliensis r. l.

### Nr. VI.

## 1871.




Multorum precibus parochorum satisfacere cupientes, imo persuasi, elevationem coetuum abstinentiae et temperantiae a potu quovis inebriante ad gradum confraternitatum ecclesiasticarum, saluti animarum fore proficuam, sequentes preces Sanctitati Suae substerni curavimus: Beatissime Pater! In Dioecesi Premisliensi rit. lat. extant jam ab anno Domini 1845 coetus ad extirpandum usum potus cremati aquavitae nuncupati, cura Episcopi Francisci Xaverii Zachariasiewicz inducti et laudabili zelo ac diligentia parochorum in omnibus parocciis erecti, quorum introductionis dies anniversaria Dominica XIX p. Pentecosten quotannis celebratur. — Habuerunt praedicti coetus usque ad hunc diem eum successum, ut quam plurimos eorum, qui prius ebriositati et intemperantiae fuerant dediti, voto abstinentiae a talibus crematis et effervescentibus potibus, coram parocho aut ejus vicario emisso jam temperantissimos ac proposito suo obedientissimos, tam rei domesticae, quam morum ac pietatis incremento conspicire liceat. Sed multo majorem atque stabiliorem coetus illi caperent successum, si ad dignitatem et privilegia sodalitatis seu Confraternitatis sub auctoritate et praesidio Ecclesiae eveherentur, ac in modum ceterarum Confraternitatum, in incrementum, rei catholicae, et ad augendam devotionem populi iisdem gratiis S. Sedis Apostolicae ac indulgentiis dotarentur, quas Dioecesis Vratislaviensis pro suis coetibus Decreto ex Secretaria S. Congregationis Epprum et regularium 28. Juli 1851 edito consequuta est. Quapropter ad instantes plurimorum parochorum

Nr. 19.
Praes.
Communicatur decretum dd. Romae 22 Aprilis 1871 Nr. 11650/10. S. Congregat Epprum, et Regularium pro facultate erigendi in ecclesiasticas Confraternitates pios coetus a temperantia et abstinentia a potu quovis cremato nuncupatos.

preces, quorum nonnulli incorporationem suorum coetuum abstinentiae ad Confraternitatem Vratislaviensem fine lucrandarum indulgentiarum procurarunt, nuper defunctus Episcopus Premisliensis antecessor meus commorans Romae in SS. Concilio Vaticano, preces pro elevandis coetibus istis ad gradum ecclesiasticae Confraternitatis, ad pedes Sanctitatis Vestrae substerni curavit. Quum tamen usque ad hodiedum petitio ista nullum sortita sit effectum, dioecesani autem Premislienses et praesertim Clerus parochialis gratiam exoptatam ardenter desiderent, ideo hodiernus Episcopus Premisliensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime ac enixissime rogat, ut Sanctitati Vestrae placeat, coetus praedictos ad dignitatem Confraternitatum Ecclesiae Nostrae et in numerum earum benignissime evehere, statuta porro, quae hic adnexa sunt, gratiosissime adprobara, atque ex thesauro ecclesiastico huic Sodalitati in omnibus Dioecesis Premisliensis parochiis canonice erigendae, gratias sub conditionibus a Sanctitate Vestra praescribendis benevolentissime impertiri.

***Statuta Sodalitatis:***

pro abstinentia a potu quovis cremato sub tutella Beatissimae Virginis Mariae.

§. I. Quisque sodalitio huic nomen dare velit, ab omni liquore, igne excitato, uti a vino cremato (aqua-vitae), araco, sicera dicta rum, et ab omnibus aliis potionibus, quae ex his substantiis praeparantur, penitus abstinere obligatur.

§. II. Qui sodalitio huic adscriptus est, ut et in ipso vini, cerevisiae, mulsi, quod vulgo dicitur miód, et in quovis potu effervescente, sit temperans, eadem ratione obligatur.

§. III. Sodales insuper spiritu charitatis ducti, quo Xsti fideles incensi esse debent, consanguineos, cognatos, et amicos, imprimos eos, qui ebriositati dediti sunt, ad aut eam inclinant, ad hanc salutarem cofoederationem permovere ac petrahere studeant.

§. IV. Recipiendus in sacrum sodalitium imprimis nomen suum det parocho, aut administratori parochiae, vel vicario parochi, qui praeses sodaliti illius loci habendus est, et admonitus de obligationibus sacri hujus foederis, in ecclesia ante altare majus, aut B. V. M. coram sacerdote et in manus illius sequentem faciat promissionem:

„Ego NN. spondeo ac promitto coram Deo omipotente, Beatissima Virgine Maria, Angelo meo Costode, ac omnibus Sanctis, abstinentiam a quovis potu cremato, temperantiam a quovis potu effervescente, et pro viribus etiam proximos meos huic sacro foederi conciliare et adunare maxime studebo. Simul agnosco et profiteor me non solum infidelitatis erga Deum noxam commissurum, sed ignominia coram hominibus, imo exclusione et rejectione ab hoc sacro sodalitio dignum fore, si unquam hanc sanctam, quam nunc sponte ac consulto emisi promissionem temere infringere aut violare ausus sim."

§. V. Emissa promissione Parochus, aus ejus vices gerens, petentem in sodalitatem suscipiat, eumque admoneat, ut saltem omnibus diebus Dominicis et festivis orationem S. Bernardi quae incipit-Memorare-recitet, aut qui legere nesciat, tria-Ave-oret, ut hac ratione obligationum, quae ei incumbunt, memor sit, ac intercessioni B. V. M. se commendet.

§. VI. His peractis Neosodalis libro confederationis inscribatur, ac literae receptionis, quibus Prae et Cognomen Sodalis, dies receptionis in sacrum coetum ac statutum hoc cum oratione S. Bernardi praedicta inferatur, ei tradantur.

§ VII. Pro festo titulari consociationis statuitur festum Septem Dolorum Beatissimae Virginis Mariae, mense Septembri, quod cum sermone sacro et missa solemni est celebrandum. Sequenti post festum die aut proxima non impedita, fiet anniversarium pro omnibus sodalibus pie in domino defunctis, qui promissionem suam sancte et fideliter servarunt.

***Decretum.***

Ssmus. Dnus. Noster Pius Papa IX. votis Episcopi Premisliensis obsecundare summopere cupiens, ea spe fretus, ut ex praefatis coetibus, et piis societatibus Christifideles ab ebriositatis vitio retrahantur et ad temperantiae virtutem excitentur, in Audientia habita sub die 24. Martii 1871 ab infrascripto Dno. Sub-Secretario hujus Sacrae Congregationis Negotiis et Consulationibus Episcoporum et Regularium praepositae, eidem Episcopo benigne indulsit, ac vi hujus Decreti benigne indulget, ut in sua Dioecesi memoratos coetus, et pias societates sub tutela et invocatione Beatissimae Virginis Mariae in proprie dictum sodalitium et piam sodalitatem seu confraternitatem erigere, et erectas approbare possit, dummodo hujusmodi coetus ex Catholicis tantum constent, nec non alios pios coetus, et societates sub eodem titulo imposterum erigendos praefato pio Sodalitio, servatis de jure servandis, aggregare, ac participes eorumdem privilegiorum ac spiritualium gratiarum reddere valeat, ita tamen ut eadem Statuta servare teneantur. Insuper Sanctitas sua Statuta, prout in suprascripto exemplari continentur, cujus autographum in Archivo hujus Sacrae Congregationis asservatur, approbavit, sicut praesentis Decreti tenore approbat atqua confirmat: nec non praefatum pium Sodalitium spiritualibus favoribus prosequi volens, infrascriptas indulgentias perpetuis futuris temporibus duraturas omnibus Christifidelibus enuntiatae Sodalitatis, animabus quoque in Purgatorio degentibus applicabiles, benigne concessit, prout hujus decreti vigore concedit, nempe 1. Plenariam die receptionis in praefatam Confraternitatem, dummodo iidem vere poenitentes et confessi ac S. Eucharistia refecti, Ecclesiam Sodalitii loci visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium oraverint. — 2. Plenariam die festo Titularis servatis conditionibus in praecedenti Nro. 1. expressis. — 3. Plenariam in articulo mortis, dummodo rite ut supra dispositi Sanctissima Jesu et Mariae nomina, saltem corde, devote invocaverint. — 4. Indulgentias septem annorum ac totidem quadragenarum pro quatuor festis in anno ab Ordinario semel tantum designandis, dummodo Ecclesiam Sodalitatis loci ut supra visitaverint. — 5. Indulgentiam sexaginta dierum pro singulis operibus piis. — 6. Indulgentiam dierum tercentorum ab iis sodalibus lucrandam, qu ebrietati deditos ab hujusmodi vitio averterint aut eos permoverint, ut pio sodalitio adscribantur, et obligationes illius firme et sancte observent. — 7. Indultum, ut singulae Missae, quae in Ecclesia Sodalitii Loci pro defunctis Sodalibus offeruntur, suffragentur perinde, ac si in Altari privilegiato celebrarentur.

Haec Santissimus Dns. Noster Pius Papa IX. statuit, constituit, atque concessit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregtionis Episcoporum et Regularium sub die 22. Aprilis 1871, — Card. Quaglia Praefectus. L. S. Trombetta Subsecretarius.

Hisce expositis sequentes regulas pro uniformi tractatione poenitentium super transgressione memorati abstinentiae et temperantiae voti observandas adjungimus:

I. Sodales Confraternitatis non esse obligatos sub peccato gravi ad servandam abstinentiam, neque ad praestanda reliqua sub §. V. imposita, sed transgressores voti solummodo indulgentiis Confraternitati concessis privari. Et quamvis solemnis promissio in §. IV. contenta et a Sodalibus emittenda juxta consultationes supramemoratae S. Congregationis inter vota formalia sub gravi obligantia nullatenus recenseri potest, tamen ipsi S. Congregationi visum est, denominationem „voti" retinere.

II. Dispensatio a praefato voto prouti in literris adprobationis seu jurisdictionis expressum habetur, Sedi Nostrae Ordinariae reservata manebit.

III. Habito vero respectu ad conditiones status militaris, concedimus per praesentes omnibus Confessariis a Nobis approbatis facultatem dispensandi a voto abstinentiae sodales ad activa servitia militaria vocatos pro spatio activitatis eorum, si id a Confessario suo expetierint.

IV. Pro consequutione indulgentiarum septem annorum et totidem quadragenarum sub Nro. 4. Decreto Apostolico concessarum Sodalibus enunciatae Confraternitatis, designamus sequentia festa: Beati Joannis deDukla S. Hyacinthi C., S. Joannis Cantii C. et S. Stanislai Kostka, quorum indictio ex s. suggestu Dominica antecedente fieri debet.

V. Volumus porro, ut populo fideli exponatis, nonnisi illos Confraternitatis beneficiorum ac gratiarum participes esse, qui absolutam abstinentiam a potibus sub §. I. expressis et temperantiam ab aliis in §. II. contentis voverunt. Tandem optamus, quod ex infradicendis ad populum cognoscere libet, ut parvuli quoque ad hanc Sodalitatem praeparentur et hac ratione vinculo pietatis S. Matri Ecclesiae magis magisque alligentur,

VI. Ut vero haec Sodalitas tantis ditata thesauris majora in dies capiat incrementa et centenarium afferat fructum, oculos et cor contritum et humiliatum levamus ad eum, sine cujus benedictionis auxilio, neque is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat. Vobis insuper Charissimi Filii et Cooperatores nostri salutare opus istud, quod multis ac non exiguis difficultatibus obnoxium fore non diffitemur, Vestro zelo pastorali ac constanti persevarantiae in evangelico labore hisce committimus, hortantes in Domino, ut in emittendis et conscientiose observandis abstinentiae votis populo fideli exemplo praeeatis, ut pro viribus piam Confraternitatem fovere, a machinationibus impiorum et infidelium strenue custodire nunquam desistatis, et tali ratione terram cordium, super quam seminatur verbum Dei, a spinis ebrietatis, quae maxime semen divinum suffocant, castigetis! Ritus suscipiendi ad Confraternitatem, mutatis mutandis et adhibita formula voti nunc praescripta et approbata, servari potest antiquus. Pro solemni indtroductione sodalitatis in omnibus parochiis, necessarium esse opinamur, ut singulorum Decanatuum Parochi

praesidente Decano super successive celebranda in ecclesiis institutione Societatis praefatae deliberationem habeant, sibique mutuum adjutorium praebeant. DD. Decani vero relationes de peracta in Decanatu introductione Confraternitatis et de numero ad illam receptorum Consistorio exhibebunt.

Pro informatione Fidelium appositam ·/. epistolam Pastoralem ex s. suggestu, praemissa convenienti exhortatione publicandam esse mandamus.

**Mathias**
Episcopus.

A CONSISTORIO EPISCOPALI R. L.

Premisliae die 19. Septembris 1871.

***Ignatius Łobos***
Cancellarius.

Confraternitas Abstinentiae

Z drukarni gr. kat. kap. w Przemyślu. pod rarz. J. Krausa.